



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon Cisterciensis Ordinis

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

35. Si Licet Evm Ambvlare solum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11259

mediatatem precij ipse miles diuino amo-
re concedat, alteram ex communi fratum,
si ei placet, recipiat.

33.

Q Y O D N V L L V S I V X T A P R O-
priam voluntatem incedat.

Conuenit his nempè militibus, qui ni-
hil sibi Christo charius existimant, pro-
pter seruitium, secundùm quod professi
sunt, & propter gloriam summæ beatitu-
dinis, vel metum gehennæ, vt obedientiam
indefinenter Magistro teneant. Tenenda
est itaque, vt mox, vbi aliquid imperatum
à Magistro fuerit, vel ab illo, cui Magister
mandatum dederit, sine mora, ac si diuini-
tus imperetur, moram pati nesciant in fa-
ciendo. De talibus enim ipsa Veritas dicit.
ob auditu auris obediuit mihi.

34.

S I L I C E T I R E P E R V I L L A M
sine iussu Magistri.

Ergo hospitales milites propriam vo-
luntatem relinquentes, & alios ad termi-
num seruientes, deprecamur, & firmiter eis
iubemus, vt sine Magistri licentia, vel cui
creditum hoc fuerit, in villam ire nō præ-
sumant, præterquam noctu ad Sepulcrum,
& ad stationes quæ intra muros sanctæ ci-
uitatis continentur.

35.

S I L I C E T E V M A M B U L A R E
solum.

Hic vero ita ambulantes, nō sine custode,
id est,

Id est, milite aut fratre remanente, nec in die, nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namq; postquam hospitati fuerint, nullus miles vel armiger aut famulus per atria aliorū militum, causa vidēdi, vel cum aliquo loquendi sine iussu, vt dictum est superiū, incedat. itaque consilio affirmamus, vt in tali domo, ordinata à Deo, quod nullus secundūm proprietatem militet aut quiescat, sed secundūm Magistri imperium totus se incubat, vt illam Domini sententiam imitari valeat, qua dicit, Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.

VT NVLLVS NOMINATIM, QVOD 36.

ei necessarium erit, querat.

Hanc propriè consuetudinem inter cetera adscribere iubemus, & cum omni consideratione, ob querēdi vitium, teneri præcipimus. Nullus igitur frater remanens assignanter & nominatim equum aut equitaturam, vel arma querere debet. Quomodo ergo? Si verò eius infirmitas, aut equorum suorum debilitas, vel armorum suorū grauitas, talis esse agnoscitur, vt sic incedere sit damnum commune, veniat Magistro, vel cui est debitum ministerium post Magistrum, & causam vera fide & pura ei demonstret: Inde namque in dispositione

Magi-